



## Philosophical Transactions

Please note: Due to an error in the print volume, the page numbering in this article may contain either page numbering skips, or page numbering repetitions, or both. However, the article content is presented in its entirety and in correct reading order.

**Please click on "Next Page" (at the top of the screen) to begin viewing the article.**

---

#### IV. *Dissertatio Puerpera, Comunicata a Petro Silvestre, M. D Soc. Reg. Socio.*

**M**. Duchesne quadraginta Circiter annos nata, plethorica, & quæ sæpius etiam gravida menstruum patiebatur fluxum, cæterum optimè valens & obesa, jamque Vigesimalium prægnans, urgente legitimo partus tempore, Circa quartam pomeridianam die Novembris 12. Anno 1697. Horrenda Uteri Hæmorragia Corripitur Vocatus post horam nonam *Jacobus Arnaudin* Obstetriciæ non minus Artis quam Chirurgicæ peritus, & de Gravissimo illo Sanguinis profluvio certior factus, nullo prorsus remedio urgenti adeo sanguinis jacturæ Occurri posse putabat, nisi quamprimum sarcina sua Uterus levaretur. Sed, ut plerumque fit, adstantes nihil temere moliendum, & rem totam naturæ permittendam clamabant. Exinde Viribus prorsus exhaustis, Circa Medium noctem iterum accersit prædictus *Arnaudin*, qui nulla interposita mora operi se accingens intra dimidium horæ *Puellam* mortuam extrahit, secundinis integris & illæsis absque labore subsequentibus. Uteri tamen Hæmorragia usque perseveravit; hancque summa jactatio, Pulsus debilitas, Lipothymiae frequentes, sudor frigidus, motus Convulsivi subfiequebantur. Tandem Cærca Sextam horam matutinam vitam cum morte Commutavit.

Die sequenti Cadaver secuimus: Aperto Abdomine, & remotis tum pingui admodum Omento, tum intestinis tenuibus, uterus in Conspectum venit, instar majoris Cucurbitulæ, Crassis ac satis distentus. In dextro ligamento lato Ecchymosis ingens erat, quæ ex latere uteri, illic ubi Vasa Spermatica & Hypogastrica per Anastomosin uniuntur, descendebat, & in inferiori parte Colli Matricis, ubi sci-

licet intestino recto incumbit, maxime conspicua erat. Ut autem omnia facilius examini subjicerentur, Uterum cum annexis resectum, & e pelvi extractum tabulae imposuimus. *Vagina* admodum laxa erat: Orificium internum adeo Apertum, ut dimidium pugnum facile excepisset. Utero secundum longitudinem secto, haec Conspiciebantur: fundum grumis aliquot sanguinis scatens, cæterum integrum & sanum: in hoc autem *Placente Uterine* adhaesio nobis facile Conspicua; quo loco etiam interna Uteri substantia inæqualis, Crassior, & quasi Carnosior Observabatur. In inferiori parte Colli uteri Causa mortis Apparuit, Laceratio nempe duorum digitorum Capax, quæ etiam extrinsecus, ubi scilicet ea Ecchymosis, Conspici poterat. An a Causa aliqua externa uterus disruptus fuerit, an potius a vehementiori Calcitratione Infantis, ut aliquando accidisse memorant Observationum Medicorum Scriptores, ignoro: Sed exinde aperta fuisse majora Vasa, quæ enormem illam sanguinis Copiam effudere, Certum est. Diductis tunicis, & tubulo inter duplicatram immisso, status ex plurimis angustis foraminibus, cum ex ea fundi parte cui *Placenta* jungebatur, tum præcipue ex lacera Colli parte, undique erumpebat:

In dextro *Ovario* Vestigium seu Cicatriculam manifeste Notavi, ex qu *Ovulum* deciduum, a tubæ Cavitate exceptum, ejusdemque Motu Peristaltico ad Uterum delatum fuisse mihi dubium non erat. *Ovarium* sinistrum flaccidum & quasi exuccum: *Tuba* ex utroque latere Aperta, ligamenta rotunda Valida; reliqua omnia Sana Observabantur.

Licet Uterus subito post Puerperium Contraheatur & Coarctetur, adeo ut, quod modo Dixi, in hac foemina sex Circiter horis a partu Mortua, Cucurbitulæ Majoris Capacitatem vix Superaret; Attamen illum instar Marsupii, vel facci digitis extendere facile potui. Et revera fibras Carneas in graviditate sensim adeo elongatas, & tanto intervallo a se mutuo discretas, non nisi post aliquod temp.

**tempus pristinum tonum & robur acquirere posse, quis non videt?**

Obiter hic notabo ferme de nihilo esse hanc quæstionem, quæ Vulgo ab Anatomicis agitari solet, an scilicet *Uteri tunice in Prægnantibus multo Crassiores sint, quam in statu Naturali?* Fateor equidem substantiam Uteri in non prægnantibus firmorem, Compactiorem, & revera Crassiorem esse, cum fibræ Carnæ tunc breves sint & summe Contractæ : in Gravidis autem, quod hic Autopsia me docuit, uterum esse multo laxiorem ob fibras extensas, & majori intervallo a se discretas. Præterea cum vasa Sanguifera, quorum flexuofæ, & quasi Serpentinæ ramifications, paupinos vitium in statu Naturali imitantes, Uteri fundum & latera perreptant, in gravidis cum utero extensæ sint, & a se invicem divisa ; hinc fit ut tunicæ graciliores, & multo minus densæ appareant. Verum, quod Ventriculo, vesicæ Urinariæ, aliisque partibus Membranosis Accedit, quæ dum extenduntur multo Gracibiores evadunt ; Cur eadem prorsus ratione illud ipsum utero non contingat, causa evidens est ; si quidem qua proportione extenduntur illius tunicæ, eadem Augentur, ac pro *fetus* nutritione & accretione dilatantur Vasa omnis Generis in illas confertissime distributa. Adde quod interna Uteri substantia quamplurimis propriis ductibus pervia tunc Crassior evadit, & præcipue in fundo ubi *Placenta* adnatur, densior est ; quod etiam in Animalibus *Cotyledoniferis* seu *Glanduliferis* Manifeste deprehenditur. Occasionem autem errandi hinc Natam credo, quod cum nonnulli paulo post Puerperium Cadavera secuerint, quo tempore Uterus statim Coactatur, Vasaque adhuc dum varicosa sunt & sanguine distenta, facile hoc Anatomicis imponere potuit, ut in Gravidis uteri tunicas duplo quam in Naturali Constitutione Crassiores censuerint : Sed hæc non adeo magni sunt momenti, ut in diversas ire sententias necesse sit.

Cæterum Observatione digna est singularis illa, quam supra indigitavi, Vasorum Sanguiferorum in Uterum dif-  
feminatio. Arteriæ nempe ac Venæ Spermaticæ ac Hypo-  
gastricæ in fundo & ad latera Matricis Capitolorum Viti-  
um instar, eleganter intortæ sunt : Hinc non Modo ad  
prægnantis Uteri modum extensi possunt, sed & postre-  
mis gestationis Mensibus, dum ad rectam lineam propius  
accedunt, facilior Sanguinis per illas transitus & distributio  
succedit. Quantum autem illud conferat ad eam succi  
Nutritii quantitatem suppeditandam, quæ Fœti jam gran-  
diori sufficiat, pluribus hic explicare superfluum esset.

---